

idem, ac id per quod Socrates est homo, sicut non potest esse nisi unus Socrates ita non potest esse nisi unus homo (1. p. q. XI. a. 3.) Et sic jacet tota Antoni Trombeta conclusio. De hac re dissertit accurate Aquinas (*Opus de questionibus oppositis* cap. 4^o).

Hanc eandem doctrinam imprudenter tradiderat Aristoteles (3^o De Anima cap. 2. Text. 9.). Quem locum enarrans Sylvester Maurus doctissimus Philosophi interpres haec ad rem nostram habet. « Praemittit (Philosophus) quod aliter se habent ad quidditatem speciei substantiae materiales, aliter substantiae immaterialis. Substantiae enim materiales supra quidditatem speciei addunt materiam individualement...; e converso substantiae immaterialis nihil addunt materiam individualement...; e converso substantiae immaterialis ita est sua quidditas specifica, ut nihil addat supra eam quidditatem; at substantiae materiales supra eam quidditatem addunt materiam individualement... Hoc praemisso docet Aristoteles quod anima discernit tum quidditates rerum materialium, tum individua habentia tales quidditates, sed ita, ut vel per diversam potentiam discernat individua, per diversam discernat quidditates individuum, vel saltem per eandem potentiam diverso modo se habentem, et operationem discernit individua et quidditates individuum... Intellectus enim quidditatem hominis discernit primo et per se. Primo enim et per se cognoscit, quod homo est animal rationale, et per hoc differt ab animalibus irrationalibus: at individua quorum est quidditas intellectus cognoscit quodammodo reflexe. » — Cf. integrum locum.

Sed ut ad rationem propositam ab Antonio Trombeta, quocum parata haec contentio est, revertamur, animadvertimus ejus argumentum, si qui efficacia, ac valoris habet, aliquid assumere, et praesupponere ut datum, quod si concederetur omnis nostra cognitio penitus corrueret. Nam, si ex eo quod res existens sunt singulares et individuae, quod nemo sanus inficiatur, concludit intellectum nostrum primo, et directe intelligere singulare, et individuum quia, quod intelligit, est in re; profecto fatetur admittendum esse ut ratum principium illud, quo tantopere abusi sunt tum veteres ante Aristotelem, tum recentes nostris temporibus; nimirum ad cognitionis veritatem oportere ut modus essendi rei idem sit, ac modus intelligendi rem. Quo ex dogmate multiplicibus oppositisque erroribus facilis ac recta patet via. Cum enim in illo falso dogmate proficundo concordet unanimesque fuisse inter antiquos Plato, Parmenides, Heraclitus, Empedocles, alique; inter recentes, sensistae, pantheistae, philosophi transcendentes, et demum Ontologi; ex ipso, ope cuiusdam verae propositionis assumptae talia deduxere, quae non solum philosophiae sed ipsi communi hominum sensui cladem, perniciemque afferre possent. Nam, si semel constituto dogmate, quod objecta eodem modo sunt in cognoscente, ac in seipsis, Heraclitus enim nullam rem veram subsistet. Omnia corpora sunt in seipsis materialiter, mutabiliter et in perpetuo fluxu. Ergo omnia corpora sunt in cognoscente materialiter, mutabiliter, et in perpetuo fluxu. Sed ad scientiam requiritur, ut objectum sit in cognoscente immaterialiter, immutabiliter, ita ut certo constat, rem non posse aliter se habere. Ergo non datur scientia (Arist. *Met.* 4^o text 22^o).

Ex opposito subsumpsit Plato: Objecta habent in intellectu quoddam esse universale, immaterialiter, necessarium, et immutabile. Ergo praeter objecta singularia, et mutabilia dantur a parte rei objecta universalis, immaterialis, immutabilia, atque ita praeter homines singulares, qui nascuntur et occidunt, datur per se homo universalis qui semper est animal rationale, et non dependet a materia, et a conditionibus loci et temporis.

Inter recentes subsunt Ontologi. In ordine ontologico prius est Ens absolutum, postmodum res create. Ergo in nostro intellectu prius debet esse cognitio Dei, et deinde creaturarum; et sic Deus est primum intelligibile re late ad intellectum nostrum.

Sensistae ex alia parte concludunt sic. Res extra intellectum sunt sensibiles, et singulares. Ergo objectum intellectus est sensibile et singulare.

Quam ad rem Angelicus Doctor ut philosophiam a falso illo ac pernicioso dogmate purgaret, ex quo tanta errorum sogos in eam permanarant, summa diligentia ac studio oppositam veritatem quae latissime patet, conatur explicare, et multiplicibus variatam modis confirmare; nimirum ad veritatem cognitionis handquam requiri, rem esse in seipsa eodem modo, ac est in cognoscente: quod pronuntiatum hac etiam conclusit formula. « Modus rei cognitae in suo esse non est idem ac modus intelligendi rem. » Quod sic acute, ac nervose confirmat: « Intellectus etsi intelligat res per hoc, quod similis est eis quantum ad speciem intelligibilem, per quam fit in actu; non tamen oportet quod modo illo sit species illa in intellectu, quo in re intellecta. Nam omnia, quod est in aliquo est per modum ejus, in quo est. Et ideo ex natura intellectus, quae est alia a natura rei intellectae necessarium est, quod alius sit modus intelligendi, quo intellectus intelligit, et alius sit modus essendi, quo res existit. Licet enim in re esse oporteat, quod intellectus intelligat, non tamen eodem modo. Unde quavis intellectus intelligit mathematica non contingendo sensibilia, et universalis praeter particularia, non tamen oportet quod mathematica sint praeter sensibilia, et universalis praeter singularia. » (*Met.* 1^o Lect. 10 et uberior de Anima lib. 2 Lect. 12).

Concludimus ergo, argumentum quo Ant. Trombeta efforcere nititur, singulare prius et directe ab intellectu cognosci, in ambiguis versari, et aliquid ut concessum supponere, ex quo, si daretur, errores admodum periculosi progigerentur: intellectus quippe non posset intelligere separatim, quae in re sunt commentata, et concreta; iterum cognitio universalis, si qua adstrueretur, vel falso tem cognosceret, vel non perciperet aliquid reale. — Alia argumenta quibus Trombeta Aquinas peripateticam doctrinam insecutur, reperire est enucleate proposita, et rite soluta apud Cajetanum (loc. cit.)

Remanet ergo rata, atque firmissima elegans illa doctrina quam post Aristotelem polioresque doctores professus est S. Thomas, nimirum: — 1^o intellectum nostrum fuisse creatum in potentia ad omnem intellectionem; — 2^o ipsum procedere in intelligendo ab actu imperfecto, ad perfectum, ac prout a cognitione confusa ad distinctam; — 3^o cognitionem universalem esse magis confusam cognitione particulari; — 4^o consequenter universaliora esse priora in nostra cognitione; — 5^o demum conceptum entis, utpote universalissimum, et abstractissimum esse primum relate ad intellectum nostrum.

Quocirca a conceptu Entis enucleando sapientissime in hoc opusculo exorditur Auctor, et circa prima scienti principia errores videntur, qui latissime patere solent. Principia quippe virtute complectuntur in se cuncta, circa quae scientiae versantur. Merito ergo illud Philosophi laudatur: « Parvus error initio magnus est in fine. »

CAPUT PRIMUM.

Quid nomine Entis et Essentiae veniat, patefacit; nomina varia recenset et explicat, quae essentiam significant.

Sciendum est quod, sicut Philosophus dicit in 5 Metaphys., ens per se dicitur dupliciter: Uno modo, quod dividitur per decem genera; alio modo, quod significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiam illud in re nihil ponat; per quem modum privationes et negationes entia dicuntur: dicimus enim quod affir-

matio est opposita negationi, et quod caecitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quod sit ens, nisi quod in re aliquid ponat; unde primo modo caecitas et huiusmodi non sunt entia. Nomen igitur essentiae non sumitur ab ente secundo modo dicto; aliqua enim dicuntur hoc modo entia, quae essentiam non habent, ut patet in privationibus; sed sumitur essentia ab ente primo modo dicto. Unde Commentator, in eodem loco, dicit: "Ens primo modo dictum est quod significat substantiam rei." Et quia, ut dictum est, ens hoc modo dictum dividitur per decem genera, oportet quod essentia significet aliquod commune omnibus naturis per quas diversa entia in diversis generibus, et in diversis speciebus collocantur: sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis. Et quia illud per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem quid est res; inde est quod nomen essentiae a philosophis in nomen quidditatis mutatur; et hoc est quod Philosophus in 7 Metaphys., frequenter nominat quod quid erat esse, idest hoc per quod aliquid habet esse quid. Dicitur etiam forma, secundum quod per formam significatur perfectio vel certitudo uniuscuiusque rei, sicut dicit Avicenna in 2 Metaph. Hoc etiam alio nomine natura dicitur, accipiendo naturam secundum primum modum illorum quatuor modorum quos Boetius, de duabus Naturis, assignat, secundum scilicet quod natura dicitur esse illud quod quocumque modo intellecta capi potest; non enim res intelligibilis est nisi per suam definitionem et essentiam: et sic etiam dicit Philosophus in 4 Metaphys., quod omnis substantia est natura. Nomen autem naturae hoc modo sumptae videtur significare essentiam rei secundum quod habet ordinem vel ordinationem ad propriam operationem rei, cum nulla res propria destituitur operatione. Quidditatis vero nomen sumitur ex hoc quod per definitionem significatur; sed essentia dicitur secundum quod per eam et in ea res habet esse.

SCHOLION. Quandoquidem intellectus noster a rebus sensibilibus et compositis cognitionem accipit, composita sunt nobis notiora simplicibus. Merito ergo S. Thomas ab explicatione conceptus ens exorditur, tamquam a composito notiori, et ab ipso ad significationem essentiae declarandam progreditur. Ens quippe cum essentiam complectatur et esse, recte dicendum est compositum, si cum Essentia confertur, quae est pars eius.

PROPOSITIO DUBIUM. Enucleandum hic venit dubium aliquod, quod ex iis quae memorata sunt suboriri posset. Etenim duo dicit S. Doctor: et incipiendum esse a significatione et conceptu entis, cuius ratio universalissima et simplicissima, ejusmodi est, ut in eam reliquae animi conceptiones demum resolvantur; et ens esse compositum et concretum relate ad essentiam, quae ipso necessario simplicior est. Primum ergo conceptus videtur esse conceptus essentiae, ab eoque potius incipiendum tamquam a simpliciori.

DUBIUM SOLVITUR. Paucis huic difficultati occurrimus animadvertendo, distinguendum esse inter ens et essentiam prout in ordine ontologico, et a parte rei spectantur, et prout sunt in conceptu nostro, idest prout concipiuntur a nobis; cum alius sit, ut meminimus, modus essendi rei, alius modus intelligendi rem. In rerum quippe natura ens compositum sane est, cum coalescat ex essentia et esse, quae in creaturis *realiter* differre ipse Angelicus Doctor discrete tradit, tum in multis aliis locis, tum Capite V istius opusculi: idcirco essentia quae pars est entis finiti ipso simplicior est. Verum si spectantur secundum modum, quo a nobis percipiuntur, eodem simplicitatis gradu gaudent, et uterque conceptus quamvis praefert compositionem, quae ortum ducit ab imperfectione humani intellectus in cognoscendo; ita ut in conceptu essentiae continetur ens, et vicissim in conceptu entis includatur essentia, et alterum per alterum notificatur.

Quamobrem tametsi neque ens, neque essentia presse possint definiiri, cum sint, uti loquitur Philosophus, de primis simplicibus, declarantur nihilominus quodammodo, et Ens dicitur id quod habet essentiam; contra Essentia est id quo aliquid denominatur ens. Ex quo liquet in conceptu entis contineri essentiam et viceversa. Cum enim, ut scite monet Aquinas, intellectus humani objectum proprium sint res materiales, in quibus forma, et subiectum differunt: simplici apprehensione mens nostra intelligit ac format cuiusque rei quidditatem copulando formam cum aliquo subiecto. Hoc vero fieri potest bifariam: vel rem concipit in concreto, et tunc subiectum intelligitur in recto et adiuncti, vel concipit in abstracto, et tunc forma intelligitur in recto, et subiectum in obliquo. Idcirco ens est concretum essentiae, et dicitur quod habet essentiam: essentia est abstractum entis, non concepta tamen in forma subsistens, sed per ordinem ad subiectum, in quo esse habet. Quam ad rem uterque conceptus quamdam habet compositionem ortam ex imperfectione nostri intellectus, qui vel apprehendit subiectum et formam, vel formam in subiecto. Vicissim uterque conceptus dicitur simplicissimus, nam cum compositio illa a naturali conditione intellectus oriatur; ab eo nequit separari, ac proinde conceptus ille minime in alio simpliciores potest dividi, ita ut vel concipiatur subiectum sine forma, vel forma, nulla habita ratione subiecti. Hanc doctrinam illustret Angelicus Doctor explicans modum quo significant nomina a nobis imposita rebus. «Quantum ad modum significanti omne nomen cum defectu est. Nam nomine rem exprimitur eo modo, quo intellectus concipimus. Intellectus autem noster a sensibilibus initium sumens illum modum non transcendit qui in rebus sensibilibus invenitur, in quibus aliud est forma et habens formam propter formae et materiae compositionem. Forma vero in his rebus invenitur quidem simplex, sed non perfecta utpote non subsistens. Habens autem formam invenitur quidem subsistens sed non simplex, imo concretionem habens. Unde intellectus noster quidquid significat ut subsistens in concretionem significat; quod autem ut simplex non ut quod est sed quod est (C. g. lib. 1^o cap. 30).

Hic disputari solet perdifficilis et magni momenti quaestio: num videlicet Ens et Essentia significant immediate vel mediate res in praedicamentis positae vel earundem naturae. S. Thomas docet ea significare *immediate*, propterea quod formalis conceptus entis unus cum sit, et communis in representando Deo et creaturae, substantiae et accidenti denotat aliud reale cum omnibus identificatum, et ratione duntaxat distinctum ab omnibus generibus, nullum gradum supra naturas genericas, specificas, et individuales exprimens. Scotus ex adverso iudicat ens significare decem praedicamenta *mediale*. Limites instituti nostri longe praetergredierentur, si abstrusam hanc quaestionem enodare vellemus; quare remittimus lectorem ad commentaria Cajetani (*De ente et essentia* q. 2^a et praesertim 3^a) ubi explicatis tota disputatio controversia, et sententia Aquinatis vindicatur ab adversariorum aculeis, ac importunitatibus. In praesentiarum satis sit adnotare Doctorem Subtilem sententiae suae nuper memoratae innixum docere Ens esse *unitivum* substantiae

et accidenti, Deo et creaturae (1^o *Sent. Dist.* 3^a q 1^a a 3^o), quod confirmare tentat, quia secus neque Deus, neque substantia cognosci posset a nobis aliquo conceptu simplici. Haec Scoti opinio minime approbari potest, tum quia a veritate remota, tum quia si nimium urgeretur periculois erroribus posset viam parare. Ea quippe usi sunt pantheistae ut decernerent, unicum omnino admittendum esse ens, quod omnia in se complectitur, et cuius reliqua non sunt nisi accidentia, vel evolutiones. Hanc eandem Scoti de *ambiguitate* quibus sententiam amplectatur Rosminius docet ens commississimum non differre quidpiam ab ipso *esse* Verbi divini, praecisa subsistentia, et illud idem *esse* Verbi divini in creaturis, tamquam in terminis finitis; propterea creaturarum esse non dici debere creatum sed positum. Quae omnia quantum a sana philosophandi ratione abhorrent nemo erit qui non intelligat.

CAPUT II.

Ostendit essentiam substantiarum proprie dici; accidentium vero secundum quid. Simplicium substantiarum essentiae nobiliores sunt essentiis substantiarum compositarum. Essentia substantiae compositae non est neque materia neque forma, nec relatio inter eas nec denique quidpiam compositio superadditum, sed ipsum compositum.

Sed quia ens absolute et primo dicitur de substantiis, et posterius secundum quid de accidentibus, inde est quod essentia proprie et vere est in substantiis, sed in accidentibus est quodammodo et secundum quid. Substantiarum vero quaedam sunt simplices et quaedam compositae, et in utrisque est essentia; sed in simplicibus veriori et nobiliori modo. Secundum etiam quod habent esse nobilior, sunt etiam causa eorum quae composita sunt, ad minus substantia prima et simplex quae Deus est. Sed quia illarum substantiarum essentiae sunt nobis magis occultae, ideo ab essentiis compositorum incipiendum est, ut a facilioribus convenientior fiat disciplina. In substantiis igitur compositis forma et materia notae sunt, ut in homine anima et corpus. Non autem potest dici quod alterum eorum tantum dicitur essentia. Quod enim materia sola non sit essentia, planum est; quia res per suam essentiam cognoscibilis est, et in specie ordinatur vel in genere; materia autem non est cognitionis principium, nec secundum eam aliquid ad speciem vel ad genus determinatur, sed secundum id solum quo in actu aliquid est. Neque etiam forma tantum substantiae compositae essentia dici potest, quamvis quidam hoc asserere conentur. Ex his enim quae dicta sunt patet, quod essentia est id quod per definitionem rei significatur; definitio autem substantiarum naturalium non tantum formam, sed et materiam continet; aliter enim definitiones naturales et ma-

thematicae non differunt. Nec etiam potest dici quod materia, in definitione substantiae naturalis, ponatur sicut additum essentiae ejus, vel (sicut) ens extra illam naturam vel essentiam ejus, quia hic modus proprius est accidentibus, quae essentiam perfecte non habent; unde oportet quod in definitione sua substantiam vel subjectum recipiant, quod est extra genus eorum. Patet ergo quod essentia comprehendit materiam et formam. Non etiam potest dici quod essentia significet relationem, quae est inter materiam et formam, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset accidens extraneum a re, nec per eam res cognosceretur: quae omnia essentiae conveniunt. Per formam enim, quae est actus materiae materia efficitur ens actu et hoc aliquid; unde illud quod superadvenit non dat esse actu simpliciter materiae, sed esse actu tale, sicut accidentia faciunt; ut albedo facit actu album. Unde, quando talis forma acquiritur, non dicitur generari simpliciter, sed secundum quid.

Relinquitur ergo quod nomen essentiae in substantiis compositis, significat illud quod est ex materia et forma compositum. Et huic positioni consonat verbum Boetii, in comment. 1 Praedicam. ubi dicit quod Ousia significat compositum. Ousia enim apud Graecos, idem est quod essentia apud nos, ut ipsemet in 3 de duabus Naturis fatetur. Avicenna autem dicit quod quidditas substantiarum compositarum est ipsa compositio formae et materiae. Commentator autem dicit in 7 Metaphys.: "Natura quam habent species in rebus generabilibus est aliquid medium, idest compositum ex materia et forma." Huic etiam ratio concordat, quia esse substantiae compositae non est tantum formae nec tantum materiae, sed ipsius compositi; essentia autem est secundum quam res dicitur esse. Unde oportet ut essentia qua res denominatur ens, non tantum sit forma nec tantum materia, sed utrumque, quamvis huiusmodi esse sive essentiae sola forma suo modo sit causa: sicut in aliis videmus, quae ex pluribus principiis constituuntur, quod res non denominantur ex altero illorum principiorum tantum, sed ab eo quod utrumque complectitur, ut patet in saporibus, quia ex actione calidi digerentis humidum causatur dulcedo: et quamvis hoc modo calor sit causa dulcedinis; non tamen denominatur corpus dulce a calore, sed a sapore qui calidum et humidum complectitur. Sed quia individuationis principium est materia, ex hoc forte videtur sequi quod essentia, quae complectitur in se simul et formam, sit tantum particularis et non universalis. Ex quo sequeretur universalis definitionem non habere, si essentia est id quod per definitionem significatur. Et ideo sciendum est quod materia non quomodolibet accepta est principium individuationis, sed solum materia si-

gnata. Et dico materiam signatam quae sub certis dimensionibus consideratur. Haec autem materia in definitione hominis, in quantum homo, non ponitur, sed ponetur, in definitione Socratis, si Socrates definitionem haberet; in definitione autem hominis ponitur hoc os et haec caro, sed os et caro absolute quae sunt materia hominis non signata.

SCHOLION. Substantiae, quae compositae nuncupantur ex duplici constant essentiali principio, nimirum ex materia prima et ex forma substantiali; quocirca a seisciatum quid in ipsis nomine essentiae intelligatur respondemus cum S. Thoma, essentialiter in compositis substantiis neque significare solam materiam, neque solam formam sed compositum ex utraque. Quod sic breviter efficit, concluditur potest. Illud in substantiis compositis designatur nomine essentiae, quod in se recipit essendi actum, ad quem refertur ut subjectum ad ultimam actualitatem. Atqui actus essendi non recipitur proprie neque in materia neque in forma, sed in composito ex utraque. Ergo in huiusmodi substantiis essentia significat compositum ex materia et forma.

Ut rite nuper prolatum argumentum intelligatur praestat quaedam meminit, quae S. Thomas et saepissime tradit, et firmis probat argumentis. Et primo quidem in omnibus rebus creatis certum est essentiam realiter distinguere a sua existentia, tanquam subjectum a suo ultimo actu rem extra causam effectricem ponente. Haec doctrina, de qua pene in omnibus suis operibus loquitur Angelicus Doctor discrete, ut diximus, ab ipso explicatur inferius in hoc eodem opusculo (cap. 5^o).

Secundo in substantiis compositis, quae sunt ens et unum per se ac simpliciter, esse actuum essentialiam in qua recipitur, et a qua ad determinatam naturam contrahitur simplex est omnino: de hoc partim S. Doctoris auctoritas nos monet agentis (*In Boet. de Hebdom.*, lect. 2^a). «Esse neque participat aliquid ut ejus ratio constituantur ex multis, neque habet aliquid extraneum admixtum...; et ideo ipsum esse non est compositum»: partim ratio nos docet: si enim esse essentiae compositae constaret ex partibus, res currendum esset ad alium actum seu formam partes eius adunatum, quod apparet perspicue falsum; in hac enim hypotesi actum esset de unitate substantiali. Ergo si substantia appellatur composita; hoc non significat ipsam actuari esse aliquo composito, sed solum denotare ipsam habere partes, quae ad unitatem essendi evehuntur per esse quoddam simplex et unum. Hoc pacto unitati substantiali entis egregie profecto consultitur; nam diversae partes substantiae coagmentatae unico esse constituunt ens et unum per se.

Doctrina haec, quae nobilissima est, et admodum accommodata ad tutandam unitatem substantialem in rebus visibilibus, et praesertim in homine, impugnata fuit a Scoto, qui (2 *Sent.* Dist. 12 q. 1 et 2) tunc, materiam primam habere propriam existentiam, et actum, quem ipse *entitativum* vocat, independenter a forma; et ex adverso formam quamlibet propria ornari existentia, ita ut in composito substantiali plures sint existentiae admittendas. Sic inconsulte parata fuit via philosophis illis, qui, male relicta scholastica philosophia, et ad veterem se contulerunt atomismum, et unionem animae cum corpore revocarunt, vel ad quandam haraoniam, vel ad physicum influxum, vel ad mixturem, et societatem virium, et veram rerum generationem iudicati sunt; quod adnotatum fuit ab ipso Angelico contra veteres philosophos «Propter hoc antiqui naturales qui posuerunt materiam primam esse aliquid ens actu, dixerunt quod nihil generatur, aut corrumpitur simpliciter; sed omne fieri

est alterari (1^a parte q. 70^a a 4^a). Haec Scoti sententia invenitur fusius refutata a Cajetano (*De ente et essentia* q. 8^a) et a Sylvestro Mauro (*Quaest. Met.* vol. 2^o q. 7^a).

Neque mirum cuique videri debet, si ipse Angelicus Doctor cum tam saepe refellere tentaverat, et oppositam veramque propugnare doctrinam: nimirum, neque materiam, neque materialem formam existere per proprium esse, seu per propriam existentiam sed per unicum et simplicem existentiam compositi, ac proinde prorsus repugnare materiam primam existere posse sine forma: qua in sententia, uti Syl. Maurus monet (loco cit.) fundat totam suam metaphysicam (1^a p. q. 66^a a 1^a, de pot. q. 4^a a 1^a, quod: 3^o q. 3^a a. 1^a) et praesertim opus, de quatuor oppositis C. 4^o ubi perspicue proponit, et acute evertit praecipuum adversariorum argumentum.

Hanc doctrinam S. Thomas accepit ex Aristotele docente materiam primam esse ens potentia non actu. «Dicimus oportet e non ente simpliciter aliquo modo fieri generationem, et alio ex eodem semper; namque ens potentia, sed actu non ens praexistat oportet, quod sens utroque dicitur modo» (*De gen.* L. 1^o Text 2^o) Et Met. 7^o definitio materiae esse «nec quid, nec quantum, nec quale, nec quidpiam eorum, quibus determinatur ens.»

Ex haecenus dictis sponte oritur difficultas quam ipse Aquinas proponit et dissolvit. Etenim dictum est essentiam significare materiam et formam. Sed materia est principium individuationis. Ergo essentia est singularis et non universalis: ex quo ulterius consequitur universalis definitionem non habere, cum essentia illud sit, quod per definitionem explicatur.

Ut proposita difficultas solvatur, distinguere oportet cum S. Thoma duplicem materiam; nimirum *communem*, et *signatam*: porro materia communis non asseritur principium individuationis, sed materia signata, idest quae consideratur sub quantitate et sub certis dimensionibus, quae dici etiam solet materia designata, idest determinata quantitate; ex: g. in homine caro et ossa sunt de ratione materiae communis, sed haec caro et haec ossa constituunt materiam signatam; hinc in definitione hominis carnes ponuntur et ossa, sed non haec carnes et haec ossa quae ponentur in definitione Socratis, si Socrates posset defini. «Dicendum est quod materia est duplex, scilicet *communis* et *signata* vel individualis. Communis quidem ut caro et os; individualis ut haec carnes et haec ossa (1^a p. q. 85 a. 1^a ad 2^{am}). Hic innuitur per difficultas quaestio de *principio individuationis* de qua aliqua inferius delibabimus post caput VI^m. Interea consulti potest Cajetani commentarium (*De ente et essentia* q. 5^a a q. 9^a).

CAPUT III.

Enodatur quo pacto essentiae generis, speciei, individuum tam absolute quam conceptae nominibus primae impositionis discernuntur: qua ratione genus, species, differentia, definitio differant: quomodo demum essentiae speciei individuis comparentur.

Patet ergo quod essentia hominis et Socratis non differunt nisi secundum signatum et non signatum: unde Commentator dicit in 8 *Metaphys.*, quod Socrates non aliud est quam animalitas et rationalitas, quae sunt quidditas ejus; sicut etiam essentia generis et essentia speciei secundum signatum et non

signatum differunt, quamvis alius modus designationis sit utrobique: quia designatio individui respectu speciei est per materiam determinatam dimensionibus; designatio autem speciei respectu generis est per differentiam constitutivam, quae ex forma rei sequitur. Haec autem determinatio vel designatio quae est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens, quod nullo modo in essentia generis sit; imo quidquid est in specie est etiam in genere, licet non determinatum. Si enim animal non esset totum quod est homo, sed pars ejus, non predicaretur de eo, cum nulla pars integralis praedicetur de suo toto. Hoc autem quomodo contingat, videri potest, si inspicatur corpus secundum quod ponitur pars animalis et secundum quod ponitur genus; non enim potest dici eo modo esse genus, quo est pars integralis. Hoc igitur nomen quod est "corpus", multipliciter accipi potest; corpus enim, secundum quod est in praedicamento substantiae, dicitur ex eo quod habet talem naturam, ut in eo designari possint tres dimensiones; ipsae autem tres dimensiones designatae sunt corpus, quod est in genere quantitatis. Contingit autem in rebus ut quod habet unam perfectionem, ad ulteriorem perfectionem pertingat; sicut patet in homine, qui naturam sensitivam habet et ulterius intellectivam. Similiter etiam et super hanc perfectionem, quae est habere talem formam ut in ea possint tres dimensiones designari, potest alia perfectio adjungi, ut vita vel aliquid hujusmodi. Potest ergo hoc nomen "corpus", rem quamdam designare, quae habet talem formam, ex qua sequitur in ipsa designabilitas trium dimensionum cum praecisione, ut scilicet ex illa forma nulla ulterius perfectio sequatur, sed, si aliquid aliud superadditur, sit praeter significationem corporis, sic dicti; et hoc modo corpus erit materialis et integralis pars animalis, quia sic anima erit praeter id quod significatum est nomine corporis, et superveniens ipsi corpori, ita quod ex ipsis duobus, scilicet ex anima et corpore, sicut ex partibus, constituitur animal. Potest etiam hoc nomen "corpus", hoc modo accipi ut significet rem quamdam quae habet talem formam, ex qua possint in ea tres dimensiones designari, quaecumque forma sit illa, sive ex ea res provenire alia ulterior perfectio, sive non; et hoc modo corpus erit genus animalis, quia in animali nihil est accipere quod in corpore implicite non contineatur. Non enim anima est alia ab illa forma per quam in re illa poterant designari tres dimensiones; et ideo, quando dicebam quod corpus est quod habet talem formam ex qua possunt designari tres dimensiones in eo, intelligebam quaecumque forma esset illa, sive anima esset, sive lapideitas, sive quaecumque alia forma; et sic forma animalis implicite in corpore sive in corporis forma continetur, prout corpus est genus

ejus. Et etiam talis est animalis habitudo ad hominem. Si enim animal nominaret tantum rem talem, quae habet quandam perfectionem ut possit sentire et moveri per principium in ipso existens cum praecisione alterius perfectionis, tunc quaecumque alia perfectio superveniret, haberet se ad animal per modum partis et non sicut implicite contenta in ratione animalis, et animal non esset genus; sed est genus secundum quod significat rem quamdam ex cuius forma potest provenire sensus et motus, quaecumque sit illa forma; sive sit anima sensibilis tantum; sive sit anima sensibilis et rationalis simul. Sic igitur genus significat indeterminate id totum quod est in specie (non enim significat tantum materiam); similiter etiam differentia significat id totum quod est in specie et non tantum formam, et etiam definitio significat totum et etiam species, sed diversimode; quia genus significat totum ut quaedam denominatio determinans id quod est materiale in re sine determinatione propriae formae; unde genus sumitur a materia, quamvis non sit materia. Unde patet quod corpus dicitur quod habet talem perfectionem ut possint in eo designari tres dimensiones: quae quidem perfectio est, ut materialis, se habens ad ulteriorem perfectionem. Differentia vero e converso est sicut quaedam determinatio a forma determinata sumpta, praeter hoc quod de intellectu primo sit materia determinata; ut patet cum dicitur animatum; scilicet illud quod habet animam, non determinatur quid sit, utrum corpus vel aliquid aliud. Unde dicit Avicenna quod genus non est in differentia sicut pars essentiae ejus, sed solum sicut extra quidditatem sive essentiam; sicut etiam subjectum est de intellectu passionum; et ideo genus non praedicatur de differentia per se loquendo, ut dicit Aristoteles, in 3 de Anima et 4 Topic, nisi forte sicut subjectum praedicatur de passione. Sed definitio sive species comprehendit utrumque; scilicet determinatam materiam quam designat nomen generis, et determinatam formam quam designat nomen differentiae.

Et ex hoc patet ratio quare genus et species et differentia se habeant proportionaliter ad materiam, formam et compositum in natura; quamvis non sint idem cum illis; quia neque genus est materia, sed sumitur a materia ut significans totum; nec differentia est forma, sed sumitur a forma ut significans totum. Unde dicimus hominem esse animal rationale, et non ex animali et rationali, sicut dicimus eum esse ex anima et corpore. Ex corpore enim et anima dicitur esse homo, sicut ex duobus rebus quaedam tertia res constituta, quae neutra illarum est. Homo enim nec est anima neque corpus. Sed, si homo aliquo modo ex animali et rationali dicitur esse, non erit sicut res tertia ex duobus rebus, sed sicut intellectus tertius ex duobus intel-

lectibus. Intellectus enim animalis est sine determinatione formae specialis naturam exprimens rei, ex eo quod est materiale respectu ultimae perfectionis. Intellectus autem hujus differentiae "rationalis," consistit in determinatione formae specialis; ex quibus duobus intellectibus constituitur intellectus speciei vel definitionis. Et ideo, sicut res constituta ex aliis quibus non recipit praedicationem earum rerum ex quibus constituitur, ita nec intellectus recipit praedicationem eorum intellectuum ex quibus constituitur: non enim dicimus quod definitio sit genus vel differentia.

Quamvis autem genus significet totam essentiam speciei, non tamen oportet ut diversarum specierum quarum est idem genus, sit una essentia; quia unitas generis ex ipsa indeterminatione vel indifferentia procedit: non autem ita quod id quod significatur per genus sit una natura numero in diversis speciebus, cui superveniat res alia quae sit differentia determinans ipsum, sicut forma determinat materiam quae est una numero: sed quia genus significat quandam formam, tamen non determinate hanc vel illam quam determinate differentia exprimit, quae non est alia quam illa quae indeterminata significabatur per genus. Et ideo dicit Commentator, 2 Metaphys., quod materia prima dicitur una per remotionem omnium formarum, sed genus dicitur unum per communitatem formae signatae; unde patet quod, per additionem differentiae, remota illa indeterminatione quae erat causa unitatis generis, remanet species diversae per essentiam. Et quia, ut dictum est, natura speciei est indeterminata respectu individui, sicut natura generis respectu speciei; inde est quod, sicut id quod est genus, prout praedicatur de specie, implicat in sua significatione, quamvis indistincte, totum id quod determinate est in specie; ita id quod est species, secundum quod praedicatur de individuo, oportet quod significet totum quod essentialiter est in individuo, licet indistincte; et hoc modo essentia speciei significatur nomine hominis; unde homo de Socrate praedicatur. Si autem significatur natura speciei cum praecisione materiae signatae quae est principium individuationis, sic se habebit per modum partis; et hoc modo significat nomen humanitatis; humanitas enim significat id unde homo est homo. Materia autem signata non est illud unde homo est homo, et ita nullo modo continetur inter illa ex quibus homo habet quod sit homo.¹ Cum

¹ Ex hoc loco cuilibet veritatem quaerenti in promptu est, S. Thomam procul dubio profiteri principia individuationis in substantiis materialibus differre realiter a principis essentialibus ac quidditativis, et consequenter in hujusmodi substantiis unitatem numericam aliquid addere unitati formali, nimirum id quod essentiam ad esse in hoc vel illo singulari determinat: secus contra doctrinam ab A. quinate traditam principia individuationis inter ea connumerentur, ex quibus homo habet quod sit homo. Neque proffit huius, qui

igitur humanitas in suo intellectu includat tantum ea ex quibus homo habet quod sit homo, patet quod a significatione ejus excluditur vel praedicatur materia determinata vel signata: et quia pars non praedicatur de toto, inde est quod humanitas nec de homine nec de Socrate praedicatur; unde dicit Avicenna quod quidditas compositi non est ipsum compositum cujus est quidditas, quamvis etiam ipsa quidditas sit composita; sicut humanitas, licet sit composita, non tamen est homo, imo oportet quod sit recepta in aliquo quod est materia signata. Sed quia, ut dictum est, designatio speciei respectu generis est per formas, designatio autem individui respectu speciei est per materiam; ideo oportet ut nomen significans id unde natura generis sumitur cum praecisione formae determinatae perficientis speciem, significet partem materialem totius, sicut corpus est pars materialis hominis. Nomen autem significans id unde sumitur natura speciei cum praecisione materiae designatae, significat partem formalem: et ideo humanitas significatur ut forma quaedam. Et dicitur quod est forma totius, non quidem quasi superaddita partibus essentialibus materiae et formae, sicut forma domus superadditur partibus integralibus ejus: sed magis est forma quae est totum, scilicet formam completens et materiam, cum praecisione tamen eorum per quae materia est nata designari. Sic ergo patet quod essentia hominis significatur hoc nomine "homo," et hoc nomine "humanitas," sed diversimode, ut dictum est: quia hoc nomen "homo," significat eam ut totum, in quantum scilicet non praetendit designationem materiae, sed implicite continet eam et indistincte, sicut dictum est quod genus continet differentiam, et ideo praedicatur hoc nomen "homo," de individuis; sed hoc nomen "humanitas," significat eam ut partem, nec continet in sua significatione nisi id quod est hominis in quantum homo, et praecedit omnem designationem materiae, unde de individuis hominis non praedicaretur. Et propter hoc quandoque hoc nomen "essentia," invenitur praedicatum de re (dicitur enim Socrates essentia quaedam), et quandoque negatur, sicut dicimus quod essentia Socratis non est Socrates.

ad virtualement distinctionem recurrit; cogere enim propugnare quantitatem dimensionem ex mente S. Doctoris virtualiter tantum discriminari a substantia corporea; quod esset lepidè dictum!

CAPUT IV.

Aperit quo pacto essentiae compositorum sint genus, species, differentia, vel unde in iisdem sumatur generis et differentiae intentio.

Viso quid significetur nomine essentiae in substantiis compositis, videndum est quomodo se habeat ad rationem generis, speciei et differentiae. Quia autem cui convenit ratio generis, speciei vel differentiae, praedicatur de hoc singulari signato; impossibile est quod ratio generis vel speciei vel differentiae conveniat essentiae secundum quod per modum partis significatur, ut nomine humanitatis vel animalitatis. Et ideo dicit Avicenna quod rationalitas non est differentia, sed differentiae principium; et eadem ratione humanitas non est species nec animalitas genus. Similiter etiam non potest dici quod ratio generis, speciei, differentiae conveniat esse secundum quod est quedam res existens extra singularia, ut platonici ponebant; quia sic genus et species non praedicarentur de hoc individuo; non enim potest dici quod Socrates sit hoc quod ab eo separatum est; nec separatim illud proficit in cognitione huius singularis signati. Et ideo relinquitur quod ratio generis vel speciei vel differentiae conveniat essentiae, secundum quod significat per modum totius, ut (in) nomine hominis vel animalis, prout implicite et indistincte continet totum hoc quod in individuo est. Natura autem vel essentia sic accepta potest dupliciter considerari: Uno modo, secundum naturam et rationem propriam, et haec est absoluta consideratio ipsius; et hoc modo nihil est verum de ea dicere, nisi quod conveniat sibi secundum quod huiusmodi; unde, quidquid aliorum sibi attribuitur, falsa est attributio: v. g. homini, in eo quod est homo, convenit rationale et animal et alia quae in ejus definitionem cadunt; album vero vel nigrum vel quodecumque huiusmodi quod non est de ratione humanitatis, non convenit homini in eo quod est homo. Ideo si quaeratur utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum concedendum est: quia utrumque est extra intellectum humanitatis, et utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, nunquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu et ratione ejus, tunc esset una et eadem natura Socratis et Platonis nec posset in pluribus plurificari. Alio modo consideratur, secundum quod habet esse in hoc vel in illo: et sic de ipsa praedicatur aliquid per accidens ratione ejus in quo est, sicut dicitur quod

homo est albus, quia Socrates est albus, quamvis homini non conveniat in eo quod est homo. Haec autem natura habet duplex esse: unum in singularibus, aliud in anima; et secundum utrumque consequuntur accidentia dictam naturam.¹ Et sic in singularibus habet multiplex esse secundum diversitatem singularium; et tamen ipsi naturae, secundum propriam considerationem, scilicet absolutam, nullum istorum esse debet; falsum enim est dicere quod natura hominis, in quantum huiusmodi, habeat esse in hoc singulari; si enim esse in hoc singulari conveniret homini in quantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare; similiter, si conveniret homini, in quantum est homo, non esse in singulari, nunquam esset in eo. Sed verum est dicere quod homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari vel in illo. Patet ergo quod natura hominis absolute considerata abstrahit a quolibet esse, ita quod non fiat praecisio alicujus eorum; et haec natura sic considerata est quae praedicatur de omnibus individuis. Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae; quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem: si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inventur humanitas inveniretur communitas; et hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo individuatum est.

Similiter etiam non potest dici quod ratio generis accidat naturae humanae secundum illud esse quod habet in individuis; quia non invenitur in individuis natura humana secundum unitatem, ut sit unum quid conveniens cuilibet; quod ratio universalis exigit.

Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturae humanae secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuandis, et habet rationem uniformem ab omnia individua, quae sunt, extra animam, prout essentialiter est imago omnium et inducens in cognitionem omnium, in quantum sunt homines: et ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinventur rationem speciei et attribuit sibi; unde dicit Commentator, 1 de Anima, quod intellectus est qui facit universalitatem in rebus: hoc etiam Avicenna dicit in 8 Me-

¹ Essentia seu natura substantiarum compositorum tripartitam habet divisionem. Potest spectari vel in se et absolute in suis praedicatis quidditativis, vel secundum quod habet esse in singularibus, vel secundum quod habet esse in anima idest in intellectu nostro. Ex hac triplici consideratione triplex efflorescit ordo, nimirum metaphysicus, physicus, et logicus, et sic intelligitur pulcherrima theoria de universalibus quam in hoc Capite Angelicus Doctor explicatus abundantiusque evolvit opposita sapienter vitans incommoda quibus obnoxii sunt conceptualismus et realismus exaggeratus.

taph. Et quamvis haec natura intellecta habeat rationem universalem secundum quod comparatur ad res quae sunt extra animam, quia est una similitudo omnium; tamen, secundum quod habet esse in hoc intellectu vel in illo, est species quaedam intellecta particularis. Et ideo patet defectus Commentatoris, in 3 de Anima, qui voluit ex universalitate formae intellectus unitatem intellectus concludere; quia non est universalitas illius formae secundum hoc esse quod habet intellectum, sed secundum quod ad res refertur ut similitudo rerum; sicut etiam, si esset una statua corporea representans multos homines, constat quod illa imago vel species statuariae haberet esse singulare et proprium secundum quod esset in hac materia, sed haberet rationem communitatis secundum quod esset commune representativum plurium. Et quia naturae humanae, secundum suam absolutam considerationem, convenit quod praedicetur de Socrate, et ratio speciei non convenit sibi secundum suam absolutam (scilicet humanae naturae) considerationem, sed est de accidentibus, quae consequuntur eam secundum quoddam esse quod habet in intellectu, ideo nomen speciei non praedicatur de Socrate, ut dicitur: Socrates est species; quod de necessitate accideret, si ratio speciei conveniret homini secundum esse quod habet in Socrate, vel secundum suam absolutam considerationem, scilicet in quantum est homo. Quidquid enim convenit homini in quantum est homo, praedicatur de Socrate. Et tamen praedicari convenit generi per se, cum in ejus definitione ponatur. Praedicatio enim est quoddam quod completur per actionem intellectus componentis et dividens, habens tamen fundamentum in re, ipsam unitatem eorum quorum unum de altero dicitur. Unde ratio praedicabilitatis potest claudi in ratione hujus intentionis quae est genus, quae similiter per actionem intellectus completur; nihilominus id cui intellectus intentionem praedicabilitatis attribuit, componens id cum altero, non est ipsa intentio generis, sed potius id cui intellectus intentionem generis attribuit, sicut quod significatur hoc nomine "animal." Sic ergo patet qualiter essentia vel natura se habet ratione speciei; quia ratio speciei non est de illis quae conveniunt ei secundum suam absolutam considerationem, neque de accidentibus quae consequuntur ipsam secundum esse quod habet extra animam, ut albedo vel nigredo; sed est de accidentibus quae consequuntur eam secundum esse quod habet in intellectu: et per hunc modum convenit sibi ratio generis vel differentiae.

CAPUT V.

Essentia simplicium substantiarum haudquaquam est composita ex materia et forma, sed est forma tantum. Conferitur cum essentia compositarum. Ostendit substantias simplices esse compositas ex essentia et esse. Intelligentiae sunt effectivae a Deo, et omnes concretae ex actu et reali potentia.

Nunc restat videre secundum quem modum essentia sit in substantiis separatis, scilicet in anima, intelligentiis et causa prima. Quamvis autem causae primae simplicitatem omnes philosophi concedant, tamen compositionem materiae et formae in intelligentiis et animabus quidam nituntur ponere; ejus positionis auctor fuisse dicitur Avicebra in libro Fontis vitae. Hoc autem dictis philosophorum reperitur esse contrarium, quia eas substantias a materia separatas nominant et absque omni materia esse probant; ejus demonstratio potissima est ex virtute intelligendi quae in eis est. Videmus enim formas non esse intelligibiles in actu nisi secundum quod separantur a materia et a conditionibus ejus; nec efficiuntur intelligibiles in actu nisi per virtutem substantiae intelligentis, secundum quod recipiuntur in ea, et secundum quod aguntur per eam. Unde oportet quod in qualibet substantia intelligente sit omnimoda immunitas a materia; ita quod nec habeat materiam partem sui, neque etiam sit sicut forma impressa materiae, ut est de formis materialibus.

Nec potest dicere aliquis quod intelligibilitatem non impediatur materia quaelibet, sed materia corporalis tantum. Si enim hoc esset ratione materiae corporalis tantum; cum materia non dicatur corporalis nisi secundum quod stat sub forma corporea, tunc oporteret quod hoc haberet materia a forma corporali, scilicet impedire intelligibilitatem. Et hoc non potest esse, quia et ipsa forma corporalis actu intelligibilis est, sicut et aliae formae, scilicet quae a materia abstrahuntur. Unde in anima intellectiva et in intelligentia nullo modo est compositio ex materia et forma, ut hoc modo accipiatur materia in eis sicut in substantiis corporalibus, sed est ibi compositio formae et esse. Unde in commento nonae propositionis libri de Causis, dicitur quod intelligentia est habens formam et esse, et accipitur ibi forma pro ipsa quidditate vel essentia simpliciter. Et quomodo hoc fit, plannum est videre. Quaecumque enim ita se habent ad invicem quod unum est causa esse alterius,

illud quod habet rationem causae potest habere esse sine altero, sed non convertitur. Talis autem invenitur habitudo materiae et formae, quod forma dat esse materiae; et ideo impossibile est esse aliquam materiam sine forma; tamen non est impossibile esse aliquam formam sine materia. Forma enim non habet, in eo quod forma, dependentiam ad materiam; sed si inveniantur aliqua formae, quae non possunt esse nisi in materia, hoc accidit eis secundum quod sunt distantes a primo principio, quod est actus primus et purus. Unde illae formae quae sunt propinquissimae primo principio, sunt formae per se sine materia subsistentes; non enim forma secundum totum genus suum materia indiget, ut dictum est; et huiusmodi formae sunt intelligentiae: et ideo non oportet ut essentiae vel quidditates harum substantiarum sint aliud quam ipsa forma.

In hoc ergo differt essentia substantiae compositae et substantiae simplicis, quod essentia substantiae compositae non tantum formam nec tantum materiam, sed formam et materiam complectitur; essentia vero substantiae simplicis est forma tantum. Et ex hoc causantur duae aliae differentiae. Et una est quod essentia substantiae compositae potest significari ut totum vel ut pars, quod accidit propter materiae designationem, ut dictum est; et ideo non quomodolibet praedicatur essentia rei compositae de ipsa re composita: non enim potest dici quod homo sit quidditas sua. Sed essentia rei simplicis, quae est sua forma, non potest significari nisi ut totum, cum nihil sit ibi praeter formam, quasi formam recipiens: et ideo, quocumque modo sumatur essentia substantiae simplicis, de ea praedicatur; unde Avicenna dicit quod quidditas substantiae simplicis est ipsummet simplex, quia non est aliquid recipiens ipsam. Secunda differentia est, quia ex eo quod essentiae rerum compositarum recipiuntur in materia designata vel multipliciuntur, secundum divisionem ejus, contingit quod aliqua sint idem specie et diversa numero. Sed, cum essentia simplicium non sit recepta in materia, non potest ibi esse talis multiplicatio; et ideo non oportet quod inveniantur plura individua unius speciei in illis substantiis: sed quotquot sunt individua, tot sunt species, ut Avicenna dicit expresse. Huiusmodi ergo substantiae quavis sint formae sine materia, non tamen in eis est omnimoda simplicitas, nec sunt actus puri, sed habent permixtionem potentiae; et hoc sic patet. Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra, et faciens compositionem cum essentia; quia nulla essentia sine his quae sunt partes essentiae intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de esse suo facto; possum enim intelligere quid est homo vel phoenix, et tamen ignorare an esse

habeant in rerum natura; ergo patet quod esse est aliud ab essentia vel quidditate: nisi forte sit aliqua res cuius quidditas sit sum esse; et haec non potest esse nisi una et prima; quia impossibile est ut fiat plurificatio alicujus, nisi per additionem alicujus differentiae, sicut multiplicatur natura generis in speciebus; vel per hoc quod forma recipitur in diversis materiis, sicut multiplicatur natura speciei in diversis individuis; vel per hoc quod unum est abstractum et aliud in aliquo receptum: sicut, si esset quidam color separatus, esset alius a colore non separato, ex ipsa sua separatione. Si autem ponatur aliqua res quae sit esse tantum, ita ut ipsum esse sit subsistens, hoc esse non recipiet additionem differentiae, quia jam non esset esse tantum; sed esse, et praeter hoc forma aliqua: et multo minus recipiet additionem materiae, quia jam esset esse non subsistens, sed materiale. Unde relinquatur quod talis res quae sit sum esse non potest esse nisi una; unde oportet quod, in qualibet alia re praeter eam, sit aliud esse sum et aliud quidditas vel natura seu forma sua. Unde in intelligentiis oportet quod sit esse praeter formam; et ideo dictum est quod intelligentia est forma et esse.

Omne autem quod convenit alicui, vel est causatum ex principis naturae suae, sicut risibile in homine, vel adventit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aere ex influentia solis. Non autem potest esse quod ipsum esse sit causatum ab ipsa forma vel quidditate rei, dico sicut a causa efficiente; quia sic aliqua res esset causa suipsius, et aliqua res seipsam in esse produceret, quod est impossibile. Ergo oportet quod omnis talis res, cujus esse est aliud a natura sua, habeat esse ab alio. Et quia omne quod est per aliud reducit ad id quod est per se, sicut ad causam primam; ideo oportet quod sit aliqua res quae sit causa essendi omnibus rebus, eo quod ipsa est esse tantum; alias iretur in infinitum in causis, cum omnis, res quae non est esse tantum, habeat causam sui esse, ut dictum est. Patet ergo quod intelligentia est forma, et esse; et quod esse habeat a primo esse quod est esse tantum; et hoc est prima causa, quae Deus est.

Omne autem quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius; et hoc quod receptum est in eo, est actus ejus. Ergo oportet quod ipsa forma vel quidditas, quae est intelligentia, sit in potentia respectu esse quod a Deo recipit; et illud esse receptum est per modum actus; et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia, nisi aequivoce; unde etiam patet, recipere, subjectum esse et omnia huiusmodi quae videntur rebus ratione materiae convenire, aequivoce conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus, ut Commentator dicit in 3 de Anima: Et quia, ut

dictum est, intelligentiæ quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia ejus est ipsum quod est ipsa, et esse suum receptum a Deo est id quo subsistit in rerum natura; et propter hoc a quibusdam hujusmodi substantiæ dicuntur componi ex quo est et quod est, vel ex quo est et essentia, ut Boetius dicit in 1 Prædicam. Et quia in intelligentiis ponitur potentia et actus, non erit difficile invenire multitudinem intelligentiarum; quod esset impossibile, si nulla potentia in eis esset. Unde dicit Commentator in 3 de Anima, quod, si natura intellectus possibilis esset ignorata, non possemus invenire multitudinem in substantiis separatis. Est ergo distinctio earum ad invicem, secundum gradum potentiae et actus; ita quod intelligentia superior, quae plus propinqua est primo, habet plus de actu et minus de potentia, et sic de aliis; et hoc completur in anima humana, quae tenet ultimum gradum in intellectualibus substantiis. Unde intellectus potentialis ejus se habet ad formas intelligibiles sicut materia prima, quae tenet ultimum gradum in esse sensibili, ad formas sensibiles, ut Commentator in 3 de Anima, dicit; et ideo Philosophus comparat eam tabulae rasae, in qua nihil est depictum. Et propter hoc, quia, inter alias substantias intelligibiles, plus habet de potentia; ideo efficitur in tantum propinqua rebus materialibus, ut res materialis trahatur ad participandum esse suum, ita quod ex anima et corpore resultat unum esse in uno composito; quamvis illud esse, prout est animae, non sit dependens a corpore. Et ideo post istam formam, quae est anima, inveniuntur aliae formae plus de potentia habentes et magis propinquae materiae, in tantum quod esse earum sine materia non est. In quibus etiam invenitur ordo et gradus usque ad primas formas elementorum, quae sunt propinquissimae materiae; unde nec aliquam operationem habent, nisi secundum exigentiam qualitatum activarum et passivarum, et aliorum quibus materia ad formam disponitur.

CAPUT VI.

Quaenam sit Dei essentia, et quaenam in substantiis separatis; undenam in eis intentio generis et differentiae desumatur, et quo pacto multiplicentur, inquiritur.

His visis, patet quomodo essentia invenitur in diversis. Invenitur autem triplex modus habendi essentiam in substantiis. Aliquid enim est, sicut Deus, cujus essentia est ipsa suum esse; et ideo inveniuntur aliqui philosophi dicentes quod Deus non habet essentiam, quia essentia ejus non est aliud

quam esse ejus. Et ex hoc sequitur quod ipse non sit in genere, quia omne quod est in genere oportet quod habeat quidditatem praeter esse suum; cum quidditas aut natura generis aut speciei non distinguatur secundum rationem naturae in illis quorum est genus vel species; sed esse est in diversis diversimode. Nec oportet, si dicitur quod Deus est esse tantum, ut in errorem eorum incidamus, qui Deum dixerunt esse illud esse universale quo quaelibet res formaliter est. Hoc enim esse quod Deus est, hujus conditionis est ut nulla sibi additio fieri possit: unde per ipsam suam puritatem est esse distinctum ab omni esse; propter quod, in commento nonae propositionis libri de Causis, dicitur quod individuatō primae causae, quae est esse tantum, est per puram bonitatem ejus. Esse autem commune, sicut in intellectu suo non includit aliquam additionem, ita nec includit in intellectu suo aliquam praecisionem additionis; quia, si hoc esset, nihil posset intelligi esse in quo super esse aliquid adderetur.

Similiter etiam, quamvis sit esse tantum, non oportet quod deficiat ei reliquae perfectiones vel nobilitates; imo habet omnes perfectiones, quae sunt in omnibus generibus, propter quod perfectum simpliciter dicitur, ut Philosophus et Commentator, in 5 Metaphys. dicunt; sed habet eas modo excellentiori omnibus rebus, quia in eo omnes unum sunt, sed in aliis diversitatem habent; et hoc est quia omnes illae perfectiones conveniunt sibi secundum suum esse simplex; sicut, si aliquis per unam qualitatem posset efficere operationes omnium qualitatum, in illa una qualitate omnes qualitates haberet: ita Deus in ipso esse suo omnes perfectiones habet. Secundo modo invenitur essentia in substantiis creatis intellectualibus, in quibus est aliud esse quam essentia ipsarum, quamvis essentia sit sine materia; unde esse earum non est absolutum, sed receptum, et ideo limitatum et finitum ad capacitatem naturae recipientis: sed natura vel quidditas earum est absoluta, non recepta in aliqua materia. Et ideo dicitur in libro de Causis quod intelligentiæ sunt finitae superius et infinitae inferius: sunt enim finitae quantum ad esse suum quod a superiori recipiunt; non tamen finiuntur inferius, quia earum formae non limitantur ad capacitatem alicujus materiae recipientis eas; et in talibus substantiis non invenitur multitudo individuum in una specie, ut dictum est, nisi in anima humana, propter corpus cui unitur. Et licet individuatō ejus ex corpore occasionaliter dependeat, quantum ad sui inchoationem, quia non acquiritur sibi esse individuum nisi in corpore cujus est actus; non tamen oportet, ut destructo corpore, individuatō pereat; quia, cum habeat esse absolutum ex quo acquisitum est sibi esse individuum, ex hoc quod facta

est forma hujus corporis, illud esse semper remanet individuatum; et ideo dicit Avicenna quod individuatio animarum et multiplicatio dependet ex corpore, quantum ad sui principium, sed non quantum ad sui finem. Et quia in illis substantiis quidditas non est idem quod esse, ideo sunt ordinabiles in praedicamento; et propter hoc invenitur in eis genus, species et differentia, quamvis earum differentiae propriae nobis occultae sint. In rebus enim sensibilibus etiam ipsae differentiae essentialis nobis ignotae sunt; unde significantur per differentias accidentales quae ex essentialibus oriuntur, sicut causa significatur per suum effectum, sicut bipes ponitur differentia hominis. Accidentia autem propria substantiarum immaterialium nobis ignota sunt; unde differentiae earum nec per se nec per accidentales differentias nobis significari possunt.

Hoc tamen sciendum, quod non eodem modo sumitur genus et differentia in illis substantiis, et in substantiis sensibilibus: quia in sensibilibus, genus sumitur ab eo quod est materia in re; differentia vero ab eo quod est formale in ipsa; unde dicit Avicenna in 1 de Anima, quod forma, in rebus compositis ex materia et forma, est differentia simplex ejus quod constituitur ex illa: non autem ita quod ipsa forma sit differentia, sed quia est principium differentiae, ut idem dicit in sua Metaph. Talis differentia est differentia simplex, quia sumitur ab eo quod est pars quidditatis rei, scilicet a forma. Cum autem substantiae spirituales sint simplices quidditates, non potest in eis differentia sumi ab eo quod est pars quidditatis, sed a tota quidditate; et ideo dicit Avicenna in 1 de Anima, quod differentiam simplicem non habent nisi species quarum essentialis sunt compositae ex materia et forma. Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen differenti; una enim substantia separata convenit, cum alia in immaterialitate: differunt autem ab invicem in gradu perfectionis, secundum recessum a potentialitate et accessum ad actum purum. Et ideo ab eo quod sequitur illas inquantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas vel aliquid hujusmodi; ab eo autem quod sequitur in eis gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota. Nec oportet has differentias esse accidentales, quia sunt secundum majorem et minorem perfectionem, quae non diversificat speciem. Gradus enim perfectionis in recipiendo eandem formam non diversificat speciem, sicut albus et minus albus in participando ejusdem speciei albedinem: sed diversis gradibus perfectionis in ipsis formis vel naturis participatis diversificat speciem: sicut natura procedit per gradus de plantis ad animalia, per quaedam quae sunt media inter animalia et plantas, secundum Philosophum in lib. de Animal. Nec iterum est neces-

sarium ut divisio intellectualium substantiarum sit semper per differentias veras, quia hoc est impossibile in omnibus rebus accipere, ut Philosophus dicit in 2 de Animal. Tertio modo invenitur in substantiis compositis ex materia et forma, in quibus et esse est receptum et finitum, propter quod et ab alio esse habent; et iterum natura vel quidditas earum recepta est in materia signata, et ideo sunt finitae et superius et inferius, et in eis jam propter divisionem materiae signatae possibile est multiplicatio individuum in una specie; et in his substantiis qualiter se habeat essentia ad intentiones logicas, supra dictum est.

QUAESTIO. — De principio individuationis.

Res omnes existentes profecto singulares et individuae dicendae sunt, cum nihil proprie existere possit, quin suum esse sibi vindicet, quo et in se sit, et a ceteris aliis dividatur. Quocirca in re, quae simplicissima gaudet realitate, quaeque est suum ipsum esse subsistens, perspicuum est principium singularitatis differre quidquam non posse ab ipsa re, quae denominatur et est singularis. At haec perfectissima simplicitas experti cuiusque realis compositionis tribui nequit rebus creatis ac finitis, quae omnes in sua realitate necessario sunt compositioni obnoxiae; idcirco in ipsis merito inquiri potest quid in composita earundem realitate sit illud, quod ipsas determinet ad esse singularis. Qua in re liquet in eo immorandum esse, ut principium individuationis ejusvis rei stabilatur, et questio plane abscondita attingatur, quae difficiles admodum habet explicatas. Etiam cum intellectus nostri objectum proprium ac directum sit quidditas rei materialis a principis individuationis abstracta; aegre in nostram cadit cogitationem, quid illud sit quod essentiam specificam ad esse individui definat. Propterea laudandus est Aquinas, qui hanc abstrusam magnique momenti questionem diligentissime ac passim explicavit; tametsi ei non defere inter doctores Parisienses, et Oxonienses tum benevoli objurgatores, tum etiam acerrimi vituperatores qui eius doctrinam et ut falsam, et ut errorem finitimum criminabantur nisi temporum illorum historia locuples testis est. Etenim, uti memoriae proditum est, Guillelmus Lamerenis de la Mare Doctor Oxoniensis an. 1284 opus edidit inscriptum «*Correctorium Fratris Thomae*» quod aptiori vocabulo postea «*Corruptorium*» dictum fuit. Ea eo opere arroganter ac inseite dicam impingit Aquinat in simulans erroris nonnulla ejus doctrinae capita, ea praesertim, quae individuationem rerum materialium spectant; et unitatem formae substantivae in homine. Propter animam intellectivam adstruit censor S. Thomae duas formas substantiales, sensitivam nimirum et animalem, quae iuxta subordinatae principio intellectivo unitatem personae in homine non destruant; atque ita ad errorem Apollinaris divertit renovatum nostra aetate a Gunthero et Balzéro in Germania, et a Pio IX P. M. proscriptum. Lamerenis comes fuit in instituta contra Aquinatem pugna Ioannes Pekamus ejus consodalis, qui in Parisiensi Academia aemulus S. Thomae mansuetudinem ac pietatem Angelici Doctoris eorum inter disputandum non semel periclitatus fuerat; creatus postea archiepiscopus Cantuariensis censura notavi ac proscriptis conclusionibus varias ab Aquinate traditis circa diversarum substantiarum individuationem, et unitatem substantialis formae. Verum conatus, clamoresque adversariorum summi Aquinatis frustra fuere, cum Urbanus V. P. M. ad universitatem Tolosanam scribere non dubitaverit: «*Voluntus insuper et tenore*